



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-173347-p0001-7

DFG



15  
828 num. 3.  
**EXERCITATIO IVRIDICA**

QVAESTIONEM CONTINENS

*Quaenam bona uxoris probato  
adulterio, marito innocentis, cedant.*

1770, 58.  
75  
Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

P. 403  
COD. P.P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBVRG. CAPITVL. CVRIA  
IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC. LVSAT. INFERIOR, NEG  
NON FACVLT. IVDIC. ASSESS. ET ACADEMIAE  
DECEMVIRO

IN AVDITORIO ICTORVM

D. V. MAII MDCCCLXX.

P U B L I C E D E F E N D E T

ADAMVS TRAVGOTT GRAMP.

DRESDANVS.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.



EXERCITATIO IURIDICA

CHARACTERISATIONIS

QUESTIONUM VENIENS

CONCERNENTIBUS

CLAVI

ILLUSTRIIS IUDICIA ORBIS VACUANTIBUS

T 2 A 12 1 D 1

D E R I O G O T T L I E B S O H N E R O

CORRIGERECES CATHARINA MARIA MAGDALENA VON

IN PEGNICO DUCIBVS IN CIVITATIBVS MONTAVIA ET TOSCANA

MONTAVIA ET TOSCANA ET CIVITATIBVS

DECIMI

I 1 VADITORIO IUDICIAH

AD VADITORIA TAVAGOTT GRANH

PERGAMENA

5 A 12 1 D 1

15011787 1401133 23



*Quaenam bona vxoris probato adulterio,  
marito innocentii, cedant.*

§. I.

**A**dulterium quod iure antiquo Romano, l. 6.  
§. i. l. 34. §. i. ff. ad leg. *Iul. de adulter.* tan-  
tum concubitum cum aliena vxore, iure  
vero recentiori l. 101. ff. *de Verb. sgn.* l. 13.  
§. 6. ff. ad leg. *Iul. de adulst.* in genere viola-  
tionem thori coniugalis denotat, inter grauissima refertur  
delicta, quae perniciem reipublicae et detrimentum familia-  
rum excitant. Diuersae ad coercendam temeritatem delin-  
quentium intentae sunt poenae, quae tam iure romano,  
quam iure hodierno ex conditione rerumpublicarum et lo-  
corum, modo leniores, modo duriores evadunt. In Saxo-  
nia enim Electorali in adulterio simplici masculus solitus  
pariter, quam maritus poenam capitalem gladii patitur,  
ast in Lusatia, poenam carceris sex septimanarum locum ha-  
bere constat. conf. Illustr. Hommel Rhapsod. 165.

§. II.

Non equidem animus est, omnes adulterii poenas re-  
censendi quas Ius Romanum, Sanctio Carolina pariter, et  
Ius Saxonum huius delicti causa constituit, sed id tan-  
tum agam, vt inquiram, vtrum vxor de adulterio ple-

4      *Quaenam bona vxoris probato adulterio,*

narie conuicta amittat bona, eademque marito innocentia, cui ius vindicandi iniuriam illatam competit, cedant. Ex iure Romano constat, a poena non immunem fuisse personam, quae culpa causam discidii sive diuortii, per quod discidebatur coniugium *Brisson. in comm. ad leg. Iul. de adulter. l. 28.* dabat; contra quam dispositionem legibus confirmatam, nec pactum in contrarium valebat, cum omnes conuentiones quae contra leges, plebiscita, Senatus Consulta, et Edicta Principum inita *l. 7. §. 7. ff. de Paci.* pro inualidis habeantur. Hinc ait Pomponius *l. 10. ff. de Verb. oblig.* si stipulatio facta fuerit: si culpa tua diuortium factum fuerit dari; nulla stipulatio est, quia contenti esse debemus poenis legibus comprehensis, nisi stipulatio tantundem habeat poenae, quanta lege sit comprehensa. Ex ea ratione *l. 8. ff. de captiv. et post. lim. reuersi.* non ut a patre filius ita *uxor a marito iure postliminii recuperari potest*, sed tunc et cum voluerit mulier et adhuc alii post constitutum tempus nupta non est: quod si voluerit, nulla causa probabili interueniente poena dissidii tenebitur.

§. III.

Ad poenam, quam *vxor*, quae ob adulterium commissum causam dabit diuortio promeretur, Iure Romano refertur priuatio dotis. Optime equidem scio diffensum Doctorum, ex quibus nonnulli fundamentum priuandi vxorem dote, non in adulterio, sed solummodo in diuortio quaerunt, ast omnis haec disceptatio mihi otiosa, et legum dispositioni contraria videtur. Primaria causa, quae excitat diuortium, est adulterium, hoc operatur, vt nisi maritus innocens iniuriam remiserit, vel aliae causae excusationem promerentes, existant, adultera dotem amittat. Divortium itaque tantum praebet actionem marito persecundi ius ex adulterio perpetrato quae situm. Confirmat hanc sententiam *Pontifex c. 4. X. de donat. int. vir. et uxor.* Quod si aliqua mulier

lier ob causam suae fornicationis iudicio ecclesiae aut propria voluntate a viro suo recedit, nec postea reconciliata est eidem, inde defuncto ipso, dotem vel dotalitium suum repetrere non potest. Ob dictum perpetratum Pontifex amissionem dotis vel dotalitii probat, cum nullum tamen extet diuortium, quippe quod aliter cogitari non potest, quam si approbante iudicio ecclesiastico contigerit; exinde vero liquido apparet, priuationem dotis potius esse effectum adulterii, quam diuortii.

§. IV.

Obstat nobis videtur dispositio Iuris Romani; ait enim Iustinianus Nov. 117. c. 8. §. 1. *Si de adulterio maritus putaverit, posse suam vxorem coniungi; oportet virum prius inscribere mulierem, aut etiam adulteram; et si huiusmodi accusatio vera esse ostenditur, tunc repudio missio, habere virum super ante nuptias donationem, etiam dotem.* Requirit in hac lege Imperator repudium, quo facto denique marito lucrum dotis tribuit, ex quo vi contrariorum fluere videtur, quod repudio non existente, quamvis de adulterio commisso constet, dotem neutiquam vindicare possit maritus. Ait re melius inspecta, alia inest legi sententia. Probat nempe Imperator, adulterium perpetratum non simpliciter efficere priuationem dotis, sed eo esse respiciendum, utrum maritus iniuriam sibi illatam, vindicare velit. Remissio enim sponte facta eundem a iure petendi bona vxoris nocentis excludit. Hac ex causa vtitur legislator verbis: *oportet virum prius inscribere mulierem, quod accusationem denotat, pariterque ut de perseverantia animi non moueri possit dubium, missum repudium desiderat, accusatio etenim, cui ex post facto accedit poenitentia nihil efficit.* Quibus rite consideratis, sententia nostra qua asserimus, adulterium causam dare priuationi non corruit, sed potius confirmatur.

## §. V.

His praesuppositis paulo penitus inquiramus necesse est, quaenam bona adultera amittat, et an priuatio, quae perpetratum delictum operatur, tantum dotalia vel etiam paraphernalia et receptitia concernat. Distinguendum erit inter Ius Romanum, Canonicum, et mores Saxonicos. Quod ad Ius Romanum attinet, extat Nov. CXVII. c. 8. in qua Iustinianus §. 2. expresse disponit, quod maritus si de adulterio conuicta sit vxor, nonsolum dotem, sed si filios non habeat, tantum ex alia vxoris substantia, quantum tertia pars dotis esse cognoscitur, accipere debeat. Huic legi derogatum esse per Nov. CXXXIV. c. 10. nonnulli censent, quae adulterae poenam monasterii imponit, insimulque verbis finalibus disponit, ut eius bona si descendentes vel ascendentes deficiant, monasterio cedant. Hinc Berkich P. IV. Concl. XXIX. n. 29. reiectis aliorum opinionibus mentem suam ita declarat, quod Nov. CXXXIV. c. 10. tantum tertiam substantiae partem, quam maritus ex Nov. CXVII. c. 8. §. 2. lucrabatur, tollat, quoad amissionem dotis vero, de qua nihil specialiter dictum, cum dicta Novella conueniat, et quoad hanc partem pro lege correctoria non sit habenda. Ait si meam hac de re sententiam dicere licet, putarem Nov. CXXXIV. cap. 10. non esse legem correctoriam, sed singularem tantum decidere casum, de quo Nov. CXVII. c. 8. non cogitauit. In illa declaratur effectus, quem detru-sio in monasterium producit; competitabat scilicet marito potestas intra duorum annorum spatium recipiendi vxorem, quo facto, propter ea quae medio tempore erant perpetrata, non laedebantur nuptiae; quod si vero hoc praedictum tempus praeterlapsum, aut maritus, antequam recipiat vxorem, moriatur, tunc adultera ad dies vitae includebatur monasterio, et vniuersa substantia non extantibus descendentibus vel ascendentibus eidem cedebat. Non itaque ter-

tia

tia substantiae pars, quam Nov. CXVII. marito innocentis tribuit, ipsi simpliciter ausertur; sed quoniam maritus intra destinatum temporis spatium mentem suam ut ipse incumbebat, non declaravit, remisisse hoc lucrum, et piae causae pro qua habetur monasterium, donasse, praesumitur, hac ex causa monasterium non inuito marito, sed ex eius voluntate et consensu substantiam adulterae adquirit.

§. VI.

Obiicies forsan eandem praesumptionem, si legi conveniat et applicationem promereri circa dotem, ut et maritus ab eius petitione excludatur. Ast hoc merito negamus, idque ex sequentibus probamus argumentis. Ingens intercedit differentia inter dotem et reliqua vxoris bona. In dote ex sententia ferme omnium Doctorum marito tribuitur dominium, quam opinionem *J. 1. Inst. Quib. alien. lic. vel non l. 30. C. de Iur. Doct.* confirmatam putant. Ast in illis bonis quae vocamus paraphernalia, prorsus marito negatur dominium, cum plerumque earum custodiam maritus *l. 9. J. 3. ff. de tur. dot. reppromittat. hinc l. 11. C. de pac. conuent.* imperator disponit, ut foeneratitiarum cautionum, quas vxor extra dotem intulit, vſuras maritus quidem circa se et vxorem expendere, pecunias autem fortis quas exegit, seruare mulieri, vel in causas, ad quas ipsa voluerit, tribuere debeat. Cum itaque dotis et reliquorum bonorum discrimen in dubium vocari nequeat, Nov. CXXXIV. ad dotem, cuius mentionem, neutiquam facit, non est referenda. Accedit et alterum, ipsa nempe Nouella dotem excipit, in ultimis enim cap. 10. verbis dicitur ut per omnes casus viro pacta dotalibus illata instrumentis, seruentur. Ex nulla alia sane ratione Imperator hanc adiecit dispositionem, quam ut declarare voluerit, dotem illatam, cuius probatio per pactum celebratum omni exceptione maior redditur, integrum permanere

8      *Quaenam bona uxoris probato adulterio,*

maniere marito, eiusque substantiam ad monasterium nunquam transfire.

**§. VII.** Quid vero sentiendum, si vxor doteum nullam intulerit? in eo casu debetur marito innocentii quarta pars substantiae, quae proprio iure ad adulteram pertinet. Confirmat hanc sententiam Imperator *l. II. s. 1. C. de repud.* si vero ait *sine culpa eam reiecerit, vel ipse talem culpam contra innocentem mulierem commiserit: compellatur ei quartam partem propriae substantiae pro rata portione persoluere, et verbis subsequentibus:* Eodem modo servando et in mulieribus, *quaes indotatae constitutae, si sine culpa mariti constitutionibus cognita eos repudiauerint, vel ipsae culpam innocentii marito praebuerint, ut ex utraque parte aequa lance, aequitas et poena seruetur.* Ne vero liberis ex matrimonio procreatis inferatur praeiudicium, disposuit Imperator ut illis haec quarta pars ad similitudinem dotis et donationis propter nuptias per omnia, quae super his statuta sunt, seruetur.

**§. VIII.**

Ex iure Canonico fluctuans est sententia interpretum, plerique affirmare audent, ius Canonicum a dispositione ciuili in eo recedere, vt etiam marito innocentii bona adulterae paraphernalia attribuat, quae vero iure romano ipsis non cedunt. Probationem inuenisse putant. *c. 4. X. De donation. int. vir. et uxor:* ubi Pontifex ait: *quod si aliqua mulier ob causam suar fornicationis iudicio ecclesiae aut proprio voluntate a marito suo recedat, nec postea ei reconciliata est eidem, inde defuncto ipso doteum vel dotalitium suum repetere non potest.* Sed hic textus non efficit, vt eorum adstipuler opinioni, quae regulis interpretandi minime conuenit. Legem interpretamur, vel ex verbis quibus vititur legislator, si eadem sint clara, vel his deficientibus ex ratione, quae mentem legislatoris reddit certain, hac ex causa interpretationem exten-

extensiua dicimus progressionem iustum a dispositiuo expresso ad non expressum tacite tamen sub ratione legis comprehensum. His praemissis liquido apparebit, extensionem poenae ad bona quae praeter dotem uxori adultera possidet textui non conuenire. Pondus, quod aduersariis decisionem suppeditat, consistit in vocabulo *dotalitium*, per hoc bona paraphernalia indicari putant. Sed quis iure hoc defendere poterit. Non equidem consentio Carpzouio, qui in Pr. Crim. P. II. Qu. LXV. n. 27. adserit dotalitium, quo utitur Pontifex donationem propter nuptias denotare, et quoniam dos et dotalitium coniunguntur, verisimilem hanc credit explicationem propterea, quod in securitatem dotis et respectu eius donatio propter nuptias conferatur. Sed ex alio capite erroneam esse opinionem, probabo. Dotalitium nempe uti inter omnes constat, consistit in certis redditibus, qui viduae ex feudo ad dies vitae debentur, et in compensationem dotis, ut eam absorbeant, dantur. Cum igitur bona paraphernalia propriam uxoris efficiant substantiam, et soluto matrimonio regulariter cum dote repeti possint, dotalitium vero ex substantia mariti debeatur et dotis repetitionem impedit, qua ratione per illud bona paraphernalia intelligi possint, nec probabilis multo minus vera ratio dari potest. Affingunt itaque aduersarii Pontifici sententiam de qua nunquam cogitauit, quod et insuper ex eo appetet, cum dotalitium et dotem non coniunxerit, sed per particulam vel separauerit, quo ipse demonstrare voluit, poenam priuationis non ad dotem solummodo, sed etiam ad dotalitium, si adultera post mortem mariti tale petat, omni iure esse extendendam.

§. IX.

Sed nunc transimus ad ius Saxonicum; Extat textus im Landrechte lib. I art. V. Ein Weib mag mit Unkeuschheit ihre  
IX. B. weib.

weibliche Ehre kränken, ihr Recht verleutet sie aber damit nicht noch ihr erbe. Ex hoc forsan colligi posset, priuationem dotis ob adulterium perpetratum iure saxonico penitus celsare; in quam sententiam etiam Magdeburgenses pronunciasse testatur Gl. in marginal. ad L. X. l. 1. art. 21. n. 4. vers. Wird aber ein Mann Non displicet hac in parte decisio eorum qui adfirmant, hanc dispositionem de muliere innupta non vero maritata agere, et intellectum illum, quem Magdeburgenses art. 5. tribuere voluerunt, referendum esse inter articulos a Pontifice romano improbatos.

## §. X.

Quae itaque sententia moribus hodiernis ex iure Saxonico probari possit, videamus. Decisionem suppeditat Const. El. XXI. P. IV. cuius rubrica haec est. Da eine Wittfrau bey ihres Ehemannes Leben Chebruch getrieben ob seine Erben ihr derowegen ihr Einbringen, und was ihr sonst gebühret, vorzuhalten. De dote quod eam maritus probato adulterio lucretur, et huius rei causa ius civile obtineat, nullum movetur dubium, eamque sententiam omnes profitentur. De paraphernalibus vero bonis, quae vxori praeter dotem sunt propria disceptari adhuc potest. Negatiuam sententiam si de iure dissero mihi vindico. Constitutio enim Saxonica bonorum paraphernalium nullam facit mentionem, sed tantum quaectionem, vrum heredes in casum, si maritus de vxoris adulterio conuestus morte autem praeuentus vindicare non potuerit, in eius ius succedere, illudque contra adulteram persequi possint, decidit. Omissa itaque discrimine bonorum legislatorem insistere voluisse iuri communis praesumendum est, praesertim cum lex penalii strictissimam recipiat interpretationem. Ius vero commune intacta bona paraphernalia relinquat vxori.

## §. XI.

## §. XI.

Contradicit nobis Carpzouius et contrariam sententiam strenue defendit. Sed an eius argumenta quae defun. i. pro coloranda causa adducit, mereantur applausum, inquiramus. Praesidium primum quaerit in inscriptione constitutionis supra laudatae, et quidem in verbis *Und was ihr sonst gehüret.* Credit itaque haec verba denotare bona paraphernalia, quorum iacturam vxor adultera vna cum dote animaduertit. Ambabus ut ita loquar manibus sententiam eius assumo, quod nempe locutio *Einbringen* in constitutione tantum dotis substantiam indicet, quamvis tutiori via processisset, si hoc vocabulum, quod est generale ad bona paraphernalia applicare voluisse. Per Phrasin vero *was ihr sonst gehüret* haec bona minime intelliguntur. Meliori iure affirmari potest, legislatoris intentionem eam fuisse, ut vxorem a dotalitio, donatione propria nuptias, et aliis emolumētis ex lege vel statuto illi alias competentibus, excluderet. Eius rei causa vitetur legislator vocabulo *gehüret*, quia haec lucra ipsi ex hereditate mariti regulariter debentur, cum alias si de bonis paraphernalibus quae sunt in dominio vxoris agere voluisse, terminus *justādig*, quod dominum competens significat iudicium indubitatum effecisset. Et si etiam haec quae dixi tantum efficiant coniecuram, hoc tamen caret dubio, ambiguam esse dispositionem Constitutionis Saxonicae, et in dubio, semper praefertur benignior sententia, qualis est, quae fauet reo.

## §. XII.

Alterum argumentum probandi, ab aequitate desumum est. Praesupponit nempe Carpzouius de iure Saxonico, maritum non modo viuente vxore bonorum paraphernalium usum fructum habere, sed et ea defuncta omnia mobilia lucrari. Exinde colligit iniquissimum esse absque facto suo,

12 *Quaenam bona vxoris probato adulterio, marito etc.*

maritum iisdem priuari, mulierem vero hoc lucrum ex delicto et adulterio consequi, cui sententiae applausum etiam tribuit Leyser specim. DLXXIX. Priorem propositionem cum legibus conueniat adfirmo, conclusionem vero quam exinde Carpzov. construit, penitus nego. Diuersa est conditio matrimonii quod morte finitur, et eius quod propter adulterium rescinditur: illo eveniente maritus superstes succedit in bonis defunctae prout leges, Statuta, vel pacta disponunt. Hoc autem contingente certam bonorum partem poenae loco consequitur, ut iniuriam sibi illatam vindicet. Maior iniquitas sententiae aduersariorum inest, qui dum omnia bona vxoris marito hoc in casu adjudicant, necessaria vxori auferunt alimenta, et oportuniorem suppeditant occasionem maiora delicta perpetrandi, quae tamen ut in quantum fieri possit, evitamus, salus reipublicae desiderat. Miror sane, Carpzouium contra se ipsum egisse, et sententiam quam alio loco adfirmauit, alio loco negasse. Relegas enim, si placet P. III. Const. El. XXVI. def. 23. num. 5. inuenies uerba. *Quin et in poenam introductum censetur, ut ex causa desertionis pars bonorum amittatur, tanta scilicet, quae ad portionem statutariam innocentis coniugi debitam sufficere potest, perinde ut ex causa adulterii perpetrati dos itemque donatio propter nuptias amittitur.* Quamuis vero haec quae in praefentiarum defendimus dispositioni legis pariter et aequitati proprius accedant, sponte tamen confitemur, in praxi contrarium obtinere, et maritum praeter dotem bona paraphernalia vxoris adulterae dum modo excipias immobilia, lucrari: confer. Moller. ad Const. Elect. XXI. P. IV. n. 3. Perlich Concl. XXIX. n. 19. Menk. in Pandect. ad leg. Iul. de adulter. §. 9.

---

Ch.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-173347-p0016-0

DFG



828 num. 3.

1770, 58.

# EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM CONTINENS

*Quaenam bona vxoris probato  
adulterio, marito innocentis, cedant.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL. CVRIA  
IN PROVINCIA SUPREMAE, IVDIC. LVSAT. INFERIOR, NEC  
NON FACVLT. IVDID. ASSESS. ET ACADEMIAE  
DECEMVIRO

IN AVDITORIO ICTORVM

D. V. MAII MDCCCLXX.

P U B L I C E D E F E N D E T

ADAMVS TRAVGOTT GRAMP.

DRESDANVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

